

Tenth of an Inch answering to a Foot of Height. *NB.* I have not made any Allowance for the Decrease of Density in the Air, because I don't propose this Machine for measuring Mountains (tho' with proper Allowance for the decreasing Density of the Air, it will do very well) but for Heights to be known in Gardens, Plantations, and the Conduct of Water, where an Experiment, that answers to two or three Foot in a Distance of twenty Miles, will render this a very useful Instrument.

---

IV. *Intestinum Parturiens, seu Casus oppido rarus de cranio & costis Fœtus per anum ejectis, descriptus a Johanne Lindestolpe, M. D. & Reg. Colleg. Medic. Stockholmensis Assessore. Ex Actis Literariis Sueciæ, An. 1723. Trimestr. 1.*

**J**ohannes Hesselius, M. D. & Westro-Gothiæ Medicus provincialis, Vir sane doctissimus, & Historiæ Naturalis, ut Pliniana utar phrasi, peculiariter curiosus, scripsit ad me Scaris d. 20 Sept. præterlapsi anni, transmisitque literas *D. Bernhaldi Shiever*, Chirurgi muneris fungentis in Legione Rosenstierniana, ad Magistrum Equitum Nobilissimum *D. Cederberg* perscriptas, in quibus refert casum, in hisce sane terris rarissimum, quod mulier quædam, postquam per septem menses gravida fuisset, evanescente tumore omni abdominis, per anum peperit cranii humani particulam, duasque costas. Sed cum multa desiderari viderentur, quæ lucem fœnerari possent tam miro phænomeno, dignum putavi, amicissimum *Hesselium* per literas denuo compellare, vellet ulterius in eam rem inquirere, mihi que communicare, quo possem tam mirandam rem ceteris meis inferere.

rere observationibus, quas prelo paratas dudum habeo. Quod & factum est. Chirurghi vero relatio, ex Germanico in Latinum translata, sic se habet :

“ Uxor *Laurentii Skallroth*, Pastoris in *OEstad*,  
 “ Territorii *Able* dicti, ditionis *Elfsburgensis*, ætatis 41.  
 “ quatuor vero annos nupta, A. 1720, mense Julio, in-  
 “ gravidatur, fructumque fert per septem menses, visis  
 “ tamen interdum paucis menstruis, sed sperans, iusto  
 “ demum tempore & post decimi mensis fastidia, pulcra  
 “ prole parentem se futuram. Præterlapso hoc tem-  
 “ pore, evanescere tumorem sentit, remanente solum-  
 “ modo pressione quadam in latere dextro. Post men-  
 “ sem rursus fit gravida, peperitque filiam, sed mortua-  
 “ am justæ magnitudinis, in Decembri A. 1721. Ex  
 “ quo tempore lecto adfigitur in mensem usque Junii  
 “ hujus anni. Mense vero Maii, cum alvum levaret  
 “ aliquando, anus ipsi tam dolere, ut ipsum intestinum  
 “ rectum omnino excidere crederet : duobus ergo digi-  
 “ tis prætentans & se juvare volens, extrahit cranii  
 “ partem, magnitudine nummi Coronæ Svethicæ (vul-  
 “ go *dubbel Carolin*); repertis deinde in fella duabus  
 “ costis, & post 14 dies abeuntibus eadem via reliquis  
 “ ossibus, colore excrementitio, quæ & ipse vidi, &  
 “ manu mea contrectavi. Maritus, uxor ipsa, & ejus  
 “ foror, alia non via exiisse hæc ossa mihi sancte adfir-  
 “ marunt, incredulo licet, & contra ordinem naturæ  
 “ hæc fieri non posse, strenue defendenti. Bene nunc  
 “ valet, domesticis apta curis, triumque mater libero-  
 “ rum, qui adhuc in vivis sunt: menstruis quoque na-  
 “ turaliter se habentibus.” *Ablingsåhs* die 28 Octo-  
 “ bris A. 1722.

Exercuit jam dudum, & exercebit, ni fallor, hic casus Medicorum ingenia, in diversas forte abeuntium sententias. Si enim foetus in ipso conceptus fuisset utero, ibique adcrevisset, non nisi per ruptum uterum,

rup-

ruptumque intestinum egredi potuisset. Sed quomodo tantum vulnus intra temporis tantillum fuisset sanabile? Osseas aliquando fœtus particulas per apostema prorupisse, res satis clara est; interdum per umbilicum, quod vidit Albucasis, *Chirurg. Lib. 2. cap. 76.* & Marcellus Donatus *Hist. Med. Mirab. Lib. 4. cap. 22. p. m. 438, 439*; interdum per Hypogastrium, ut scribit ad Segerum Wepferus; interdum quoque, uti nunc refertur, per intestinum rectum, sicut annotavere Marsilius Cognatus, *Var. Obs. Lib. 4. cap. 9.* & Joh. Langius, *Epist. Med. Lib. 2. Ep. 39. p. m. 739.* vir sane doctissimus & candidus. \*

Rumpi quoque parietes uteri, infantemque in abdomen extrudi, vel totum, vel quoad partes, testes fuere oculati, Hildanus *Obs. 64. Cent. I.* Vellingius *Syn-tagm. Anat. cap. 7.* & Joh. Casp. Fauſius in Epitaphio Elisabethæ Treipfenning, Petri Gilfeldii uxoris, quæ fœtum masculum non in mundum, sed in semet ipsam, rupto utero, edidit; Heidelbergæ 1657. Conf. Bohnius *Circul. Anat. Progymnasm, I. p. m. 20. & 21*

Marquardus *Empir. Pract. p. 304. 305.* vidit molam in vasis spermaticis Catharinæ Zarthin juxta uteri fundum genitam. Et Riolanus *Lib. 2. Antropograph. cap. 35.* quatuor producit exempla fœtuum ex Tubis Fallopianis exsectorum. In quam sententiam multis argumentis ivit Celeberrimus Thomas Bartholinus in *Epistola* ad Horstium, & Antonius Deusingius, Professor olim Academiae Groningensis. Hærvæus præterea de *Gener. Animal. Exerc. 65.* animantia vivipara, non in utero, sed in cornubus concipere, ac uterum ipsis propylæum esse, tubas vero muliebres, cornubus aliorum

---

\* Conferri meretur *Histoire d'un Fœtus humain tiré du ventre de sa mere par le fondement par Monsr. LITTRE*, inserta Commentariis Reg. Academiæ Scientiarum Anni 1702. p. 234 sq. edit. Paris.

animalium proportione, situ, connexione, amplitudine, similitudine, perforatione & officio, respondere testatur. Ita ut nullum sit dubium, fœtum extra uterum in tuba generari posse, ibique grandescere, hinc in abdomen delabi, & qua data porta excerni; quamvis hoc negent Guido Patinus, Conringius, aliique.

Taceo nunc Lithopædion Senonense, a Columba Chatry, Sartoris uxore, per 28 annos utero circumlatum, \* quo nunc Regium Musæum Hafniense gaudet: nominasse saltem contentus Fœtum Mussipontanum (*Pont. a Mousson.*) extra uterum inventum, semilapideum, ab Illustrissimo Angliæ Cancellario Kenelmo Digbæo apud Pharmacopæum Barbilottum, aliisque olim visum, & publica Dissertatione in Academia Dolana, sub Præsidio Stephani Willet, ventilatum; quæ omnia prolixius apud Strausium de *Fœtu Mussipontano* legi possunt. Namque quod Pentzius, Fehrius & Academia tum putabat Aلدorfina, non fœtum, sed sororem fuisse, a phantasia matris olim gravidæ progenitam, nihil moror.

---

\* Non ita pridem GEORG. FRIDER. ORTH Ratisp. *historiam* exhibuit *Fœtus in utero materno per XLVI annos detenti*, in Dissert. Inaugur. sub præsidio Rudolphi Jacobi Camerarii habita Tubingæ, 1720.